

Ad 3, dicendum, quod ex latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem ad redimendum. Et ideo sanguis competit sacramento Eucharistiæ; aqua autem sacramento baptismi, qui tamen habet vim ablutivam ex virtute sanguinis Christi.

Ad 4, dicendum, quod virtus Christi derivata est ad omnem aquam, non propter continentiam loci, sed propter similitudinem speciei. Unde dicit Augustinus in quodam sermone Epiph. (in serm. 1 Dominicæ infra oct., med., tom. 10): Quæ de Salvatoris baptisate benedictio fluxit, tanquam fluvius spiritualis, omnium gurgitum tractus, universorum fontium venas implevit.

Ad 5, dicendum, quod illa benedictio, quæ adhibetur aquæ, non est de necessitate baptismi, sed pertinet ad quamdam solemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium, et impeditur astutia dæmonis, ne impediatur baptismi effectus.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Thomas aquam ex institutione divina esse propriam materiam baptismi, loquitur autem hic de aqua in genere. Nam in articulo sequenti explicat, cujus qualitatis seu speciei esse debeat hæc aqua. Hic vero in solutione ad 5, declarat, solam aquam esse de necessitate hujus materiæ; benedictiones autem aut cæremonias alias, quæ circa aquam fiunt ex ritu Ecclesiæ, non esse de necessitate hujus materiæ; sed ad quamdam solemnitatem pertinere. Denique cum D. Thomas ait, aquam esse materiam, loquitur de materia remota. Atque ita intellecta conclusio est per se facilis, et rationes D. Thomæ sunt optimæ, quibus in corpore articuli explicat, quam fuerit proportionata materia ad usum et significationem baptismi. In solutionibus vero argumentorum declarat, quomodo res aliæ, quales sunt vinum, oleum, ignis, sanguis et similia, non erant materiæ aptæ ad hujusmodi usum. Et littera est satis perspicua, et non indiget alia expositione. In solutione vero ad 4, attingit D. Thomas locum illum Matth. 3: Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne, quem tractabimus diligentius sequenti disput. In solutione autem ad 3, tractat D. Thomas locum Joan. 19: Exivit sanguis et aqua, explicans, per aquam significatum esse baptismum, quem locum tractavi late in 4 tom., disput. 39, sect. 3, et ideo non est hoc loco repetendus.

ARTICULUS IV.

Utrum ad baptismum requiratur aqua simplex (4, dist. 3, art. 3, quæst. 2, et 4 cont., cap. 58).

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod ad baptismum non requiratur aqua simplex; aqua enim quæ apud nos est, non est aqua pura, quod præcipue apparet de aqua maris, in qua plurimum admiscetur de terrestri, ut patet per Philos. in lib. Meteor. (2, c. 3, tom. 2). Et tamen in tali aqua potest fieri baptismus. Ergo non requiratur aqua simplex et pura ad baptismum.

2. Præterea, in solemnibus celebrationibus baptismi, aquæ infunditur chrisma. Sed hoc videtur impedire puritatem et simplicitatem aquæ. Ergo aqua pura et simplex non requiratur ad baptismum.

3. Præterea, aqua fluens de latere Christi pendens in Cruce, fuit signum baptismi, ut dictum est (art. præced., et quæst. 62, art. 5). Sed aqua illa non videtur fuisse aqua pura, eo quod in corpore mixto (cujusmodi fuit corpus Christi) non sunt elementa in actu. Ergo videtur, quod non requiratur aqua pura vel simplex ad baptismum.

4. Præterea, lixivium non videtur esse aqua pura; habet enim contrarias proprietates aquæ, scilicet calefaciendi et desiccandi, et tamen in lixivio videtur posse fieri baptismus, sicut et in aquis balnearum, quæ transeunt per venas sulphureas, sicut et lixivium colatur per cineres. Ergo videtur, quod aqua simplex non requiratur ad baptismum.

5. Præterea, aqua rosacea fit per sublimationem a rosis, sicut etiam aquæ alchimicæ generantur per sublimationem ab aliquibus corporibus. Sed in his aquis, ut videtur, potest fieri baptismus, sicut et in aquis pluvialibus, quæ per sublimationem vaporum generantur. Cum igitur hujusmodi aquæ non sint puræ et simplices, videtur, quod aqua pura et simplex non requiratur ad baptismum.

Sed contra est, quod propria materia baptismi est aqua, ut dictum est (art. præced.). Sed speciem aquæ non habet nisi aqua simplex. Ergo aqua pura et simplex de necessitate requiratur ad baptismum.

Respondeo dicendum, quod aqua suam puritatem et simplicitatem potest amittere dupliciter. Uno modo per mixtionem alterius corporis; alio modo per alterationem. Utrumque autem horum contingit fieri dupliciter, scilicet per artem et per naturam. Ars autem deficit

ab operatione naturæ, quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest. Sed omnes formæ artificiales sunt accidentales, nisi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignem combustibili; per quem modum a quibusdam quædam animalia per putrefactionem generantur. Quæcumque igitur transmutatio circa aquam facta est per artem, sive commiscendo, sive alterando, non transmutatur species aquæ. Unde in tali aqua potest fieri baptismus, nisi forte aqua admisceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud, quam aqua, sicut lutum magis est terra, quam aqua, et vinum lymphatum magis est vinum, quam aqua. Sed transmutatio, quæ fit a natura, quandoque quidem speciem aquæ solvit, et hoc fit quando aqua efficitur per naturam de substantia alicujus corporis mixti, sicut aqua conversa in liquorem uvæ, est vinum; unde non habet speciem aquæ. Aliquando autem fit per naturam transmutatio aquæ sine solutione speciei, et hoc tam per alterationem (sicut patet de aqua calefacta a sole) quam etiam per mixtionem, sicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium. Sic ergo dicendum est, quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri baptismus; si vero solvatur species aquæ, non potest fieri baptismus.

Ad 1 ergo dicendum, quod transmutatio facta in aqua maris, et etiam in aliis aquis, quæ penes nos sunt, non est tanta, quod solvat speciem aquæ. Et ideo in hujusmodi aquis potest fieri baptismus.

Ad 2, dicendum, quod admixtio chrisma non solvit speciem aquæ, sicut etiam aqua decoctionis carniæ aut aliorum hujusmodi. Nisi forte sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua, quod ex spissitudine perspicitur potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimat aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus; sicut et in aqua, quæ exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit.

Ad 3, dicendum, quod aqua fluens de latere Christi pendens in Cruce, non fuit humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt. In tali enim humore non posset fieri baptismus, sicut nec in sanguine animalis, aut in vino, aut quocumque liquore alicujus plantæ. Fuit autem aqua pura, miraculose egrediens a corpore mortuo, sicut et sanguis, ad compro-

bandam veritatem Domini corporis, contra Manichæorum errorem, ut scilicet per aquam (quæ est unum quatuor elementorum) ostenderetur corpus Christi vere fuisse compositum ex quatuor elementis; per sanguinem vero ostenderetur esse compositum ex quatuor humoribus.

Ad 4, dicendum, quod in lixivio et in aquis sulphureorum balnearum, potest fieri baptismus, quia tales aquæ non incorporantur per artem vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solum alterationem quamdam recipiunt, ex hoc quod transeunt per aliqua corpora.

Ad 5, dicendum, quod aqua rosacea est liquor rosæ resolutus. Unde in ea non potest fieri baptismus, et eadem ratione, nec in aquis alchimis, sicut nec in vino. Nec est eadem ratio de aquis pluvialibus, quæ generantur ex majori parte ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis. Minimum autem est ibi de liquoribus corporum mixtorum, qui tamen per hujusmodi sublimationem, virtute naturæ, quæ est superior arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars facere non potest. Unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti, quod de aquis rosaceis et aquis alchimis dici non potest.

Littera D. Thomæ est clara, et in disputatione sequenti melius res tota explicabitur.

DISPUTATIO XX.

DE MATERIA BAPTISMI.

Materia alia proxima, alia remota. — In sacramentis, quæ consistunt in usu, duplex potest distingui materia, una remota et altera proxima. Remota dicitur elementum illud, quo in usu sacramenti utendum est. Proxima vero, ille usus elementi, qui ad conficiendum sacramentum est necessarius. D. Thomas ergo in his articulis egit de materia remota baptismi, de proxima vero nonnulla attigit inferius art. 7 et 8; ut vero rem totam breviter et ordinate complectamur, utramque partem in præsentis disputatione expediemus.

SECTIO I.

Utrum aqua simplex et elementaris sit materia remota baptismi.

1. Primus Gnosticorum error. — Nonnulli ex antiquis hæreticis, qui dicti sunt Gnostici,

negarunt aquam sensibilem esse necessariam ad baptismum conficiendum. Ita refert Irenæus, lib. 4 contra hæres., cap. 18. Quem errorem sequuti sunt Manichæi, teste August., hæres. 46, et Seleuciani, apud eundem, hæres. 59, et Pauliciani, apud Euthym., 2 part. Panopl., tit. 24, quos refert solis verbis baptizasse. Referunt etiam moderni scriptores aliquos ex novatoribus hæreticis hunc errorem excitasse. Qui omnes consequenter asserunt, in illis verbis Christi Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, aquam metaphoricè sumi, fortasse pro illa aqua, de qua dicit idem Christus statim, cap. 4 : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*; et Ezech. 36 : *Effundam super vos aquam mundam*; quibus locis aqua gratiam significat. Vel aliter, ut Waldens. refert, tom. 2 de Sacram., cap. 10, dixit Wicleph. aquam ibi significare passionem Christi, propter aquam, quæ exivit de latere Christi pendens in cruce. Quæ interpretatio confirmari potest a simili ex Matth. 3, ubi Joan. Baptista de Christo ait : *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne*, ubi necesse est, ignem metaphoricè sumi; ergo eadem ratione poterit aqua metaphoricè sumi in prioribus verbis Christi.

2. *Jacobitarum error.* — Secunda hæresis, ex his eisdem verbis Matth. exorta, asseruit, materiam baptismi esse ignem. Ita senserunt Jacobitæ, qui candenti ferro characterem crucis baptizatorum frontibus inurebant, ut referunt Prateolus, verbo Jacobitæ, et Sander., l. 7 de Visib. Monarch., hæres. 443. Non videntur autem hi hæretici negasse materiam aquæ, sed cum illa ignem conjunxisset, fortasse ut utrumque locum Scripturæ proprie intelligerent.

3. *Tertius Flagellantium dictorum error.* — Tertiam hæresim referunt Castro, verbo Baptismus, hæres. 42, et Prateol., verbo Flagellantes, negantem, jam nunc baptismum esse ex aqua conficiendum, sed ex proprio sanguine flagellis ex proprio corpore excusso, et ideo sectatores hujus hæresis Flagellantes dicti sunt, quia passim oberrabant, seipsos virgis ac nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant, concidentem. Quis autem eorum primus auctor fuerit, ignoratur, sicut etiam vix cogitari potest, quo fundamento moti fuerint ad errorem adeo perniciosum confingendum, tamque crudelem baptismum introducendum. Quod enim Castro refert, eos motos

esse quadam allegoria, scilicet, quia quando Christus aquam in vinum convertit, significavit fore aliquando in Ecclesia baptismum aquæ in baptismum sanguinis commutandum; hoc (inquam) ridiculum est, quia hæc allegoria et fundamentum non habet, et repugnat legi a Christo latæ : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*; et illi : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Quæ lex perpetuo usque ad consummationem sæculi duratura est, sicut Ecclesia, et Evangelium, quod Christus eodem loco (ut alia omittam) subjunctis verbis significavit, dicens : *Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*.

4. *Conclusio prima.* — *Probatur primo.* — Dico ergo primo, aquam veram ac sensibilem esse propriam materiam remotam, et essentiali sacramenti baptismi. Est de fide, et definitur in Concil. Lateran., in c. Firmiter, de Sum. Trin.; et Concil. Florent., in decreto Eugen.; et Concil. Trident., sess. 7, can. 2 de Baptismo. Et probatur simul ex Scriptura, adjuncta Patrum expositione et traditione. Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*. In quibus verbis, Aqua, proprie et non metaphoricè sumi, constat primo, ex generali regula interpretandi Scripturam; nimirum, quod proprietas verborum servanda sit, ubi aut evidens necessitas non cogit metaphoricè interpretari; aut sufficiens auctoritas non obligat, vel saltem facultatem non concedit ita interpretandi, alias nihil firmum et stabile possemus ex Scripturis habere; hoc autem maxime necessarium est in illis locis, in quibus vel præcepta traduntur, vel instituuntur sacramenta, quæ sunt et animarum medicinæ, et Ecclesiæ fundamenta.

5. *Probatur secundo.* — Secundo idem constat ex aliis Scripturæ locis. Unus est Matthæi ult. : *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Dicent fortasse, etiam ibi sumi metaphoricè et spiritualiter, sicut Isai. 4 : *Lavamini, mundi estote*. Sed hoc non potest præcepto Christi accommodari. Mandabat enim Apostolis actionem aliquam ab eis circa alios corporaliter et sensibiliter exercendam; loquebatur ergo proprie de baptismo sensibili, qui in aqua fit, quem vox Græca, baptizo, proprie significat. Quam proprietatem et veritatem ipso usu paulo post Apostoli declararunt, nam Actor. 2, eos baptizabant, qui per verbum eorum ad fidem convertebantur, ubi, baptizare, non potest significare solam prædicationem, seu aliquam aliam spiritualem actionem. Clarius vero Actor. 8, postquam Philippus Eunuchum

catechizaverat, dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, et ait Eunuchus : *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari*. Intellexerat ergo baptismum in aqua sensibili sibi esse necessarium. Quam intelligentiam veram esse confirmavit Philippus, dicens : *Si credis ex toto corde, licet*; et infra : *Descenderunt uterque in aquam, Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum*. Similis locus evidens est Act. 10, ut notavit Chrysost., hom. 24 in Joan., ubi Petrus dixit : *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?* Rursus ex c. 19, sumitur manifestum argumentum. Cum enim Paulus veniret Ephesum, interrogavit discipulos, quos ibi invenit : *In quo baptizati estis?* quibus respondentibus : *In Joannis baptizate*, Paulus fecit eos baptizari baptismum Christi. Ergo satis aperte significatur, baptismum Christi et Joannis convenire, in vera et propria ratione baptismatis aquæ, quamvis differant in forma et in spiritu. Denique hoc aperte confirmant verba Pauli ad Ephes. 5 : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*.

6. *Probatur tertio.* — Tertio ex Patrum traditione, et usu perpetuo et universali Ecclesiæ; omnes enim antiqui Patres, qui opera seu orationes de hoc sacramento scripserunt, ut Gregor. Nazianz., Nyssen., Basil., Tertull., August., Ambros., ita verba Christi intellexerunt. Et præterea August., lib. 4 de Peccat. merit., c. 20, et lib. 2, c. 27, ubi ex verbis Christi colligit necessitatem baptismi in aqua sensibili, etiam pro parvulis; et l. 6 de Bapt., c. 42, addit posse aliquem renasci ex aqua absque spiritu, si sacramentum sensibile recipiat absque effectu gratiæ. Item Ambros., lib. 3 de Spiritu Sancto, c. 44; Cyprian., lib. 3 ad Quirin., c. 25; et bene Orig., lib. 5 in ad Rom., tractans illa verba c. 5 : *Quicumque baptizati sumus, in Christo Jesu baptizati sumus*. Cyril. Hieros., Catech. 3; et Chrysost., hom. 24 in Joan.

7. *Probatur quarto.* — Quarto addunt Patres, quamvis in Scriptura, gratia soleat nomine aquæ significari, propter metaphoram et analogiam, quia sicut aqua corpus, ita gratia animam mundat, in ea tamen metaphora adumbratam esse gratiam baptismalem, dandam per veram ac sensibilem aquam. Ita Cyprian., epist. 65, ubi varia Isaie loca in hunc modum exponit; sic etiam Hieron. declarat illud Ezech. 39 : *Effundam super vos aquam mundam, baptismi* (inquit) *salutaris*. Item

circa illa verba cap. 16 : *Aqua non est lota in salutem*, et ibid. : *Et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo*. Et Isai. 4, intelligit significari vocationem ad baptismum illis verbis : *Lavamini, mundi estote*. Ubi Cyrillus eundem tribuens sensum addit, aquam baptismi significatam fuisse in aqua purificationis veteris legis. Denique Hier., Zach. 13, hoc sacramentum intelligit promitti illis verbis : *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatorum*; et epist. 83 ad Oceanum, post med., varia congerit mysteria in aquis facta ob significationem hujus sacramenti, ut de his, qui in arca Noe salvati sunt per aquas diluvii, 1 Pet. 3, et de transitu populi Israel per mare Rubrum; similia habet Augustinus, lib. contra Fulgen. Donatist., non longe a fine., ubi inter alias adducit figuram aquarum, quas sanavit et fecundavit Elisæus, 4 Reg. 2; videri etiam potest Cyprianus, epist. 76, in posteriori ejus parte; Basil., hom. 43, quæ est exhortatio ad baptismum; et Iren., lib. 3 contra hæres., c. 49; ac denique Innocent. III, in cap. In quadam, de Celebratione Missarum, ubi definit, et aquam, quæ de latere Christi manavit, fuisse veram et naturalem aquam, et in illa significatam fuisse aquam baptismi.

8. *Probatur quinto.* — Ultimo afferre possumus rationes. Et quidem cum hæc res pendeat ex institutione, absoluta ratio cur hæc materia est necessaria, fuit voluntas instituentis; rationes autem, seu congruentiæ hujus voluntatis duæ sunt potissimæ. Una est veluti litteralis, quia aqua est res communissima, qualem esse oportebat ad conficiendum sacramentum commune ac necessarium omnibus; ejus etiam usus est facillimus, purus, innoxius, atque ita ad suavitatem legis Evangelicæ maxime accommodatus. Altera ratio mystica est, quia aqua habet maximam interiorem munditiam, quæ per baptismum fit. Quam rationem egregie amplificat D. Thom. hic, et Cyril., dicta Cateches. 3, et Chrys., hom. 24 in Joannem.

9. *Secunda conclusio.* — Dico secundo, solam aquam elementarem, simplicem, seu usualem, esse materiam necessariam ac sufficientem ad hoc sacramentum conficiendum. Ita D. Thomas hic, art. 4, in solutionibus argumentorum, et reliqui Theologi in 4, dist. 3; Marsil., quæst. 3, art. 2. Ex quibus advertendum est, in primis necessarium esse, ut aqua retineat substantiam elementi aquæ. Nam hæc

est, quæ proprie simpliciter aqua vocatur; et hæc est propria aqua usualis, qua homines ad abluendum corpus utuntur. Et ideo in hac baptizatus fuit Christus, eamque suo tactu sanctificavit. Hæc denique exivit de latere ejus ad significandum hoc sacramentum, ut Innocent. III supra citatus definivit. Atque hinc fit aquas artificiales, quæ ex floribus seu herbis stillantur, non esse materiam hujus sacramenti, quia non sunt veræ aquæ elementares, sed mixti quidam humores; atque eadem est ratio de lacrymis, saliva, et aliis hujusmodi rebus, quæ eodem titulo excluduntur, ut esse non possint materia baptismi. Neque oportet minutiores quæstiones de hujusmodi rebus et materiis sigillatim discutere; neque etiam philosophicam quæstionem tractare, an in aqua elementari et usuali sit interdum essentialis diversitas, quia et revera nulla est, et præterea ad sacramentalem usum satis constat, quænam aqua sit naturalis et usualis; omnis autem illa est sufficiens materia baptismi, quacumque qualitate affecta sit. Unde fit, non referre ad hujusmodi materiam, quod sit calida aut frigida, aut quod per sulphureos meatus transierit, aut per cineres, quæ lixivium dicitur. Quinimo, licet permista sit cum alia substantia et corpore, dummodo non sit tanta permistio, quæ revera mutet seu impediatur usum aquæ, erit sufficiens materia; ut si sit aqua turbida, pulveris aut terræ permixtionem aliquam habens, vel si in ea caro fuerit decocta, et succo ejus admista in parva quantitate, nam si sit magna, potius erit lutum, aut substantia alia mista, quam aqua. Denique in hujusmodi rebus servanda est generalis regula supra tradita, ut semper adhibeatur materia pura, quoad fieri possit, servatis Ecclesiæ ritibus, et cæremoniis, nam hoc spectat ad reverentiam sacramenti, et ad ejus certitudinem.

10. *Exponitur locus Matth. 3. — Prima expositio. — Rejicitur. — Secunda expositio.* — Ex his, quæ inter referendum contrarios errores allata sunt, solum supersunt explicanda verba illa Matth. 3: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igne*, in quibus necessario aliqua metaphora admittenda est, quia et circumstantia litteræ id postulat, et Patres in hoc consentiunt, quamvis in sensu verborum explicando dissentiant. Primum ergo necesse non est, baptismam ibi fuisse locutum de sacramento Baptismi a Christo instituendo, sed de adventu Spiritus Sancti sub specie ignis a Christo missi in discipulos suos die Pentecos-

tes. Cum quo sensu consonare videntur verba Christi, Actor. 1: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies*; et ita exposuerunt ibi Hier., et Beda, lib. 4 in Luc., cap. 9, et Cyril. Hierosolym., Cateches. 3, et Euthy., Matth. 3. Quæ expositio mihi non admodum placet, si ad solam illam visibilem missionem Spiritus Sancti coarctetur, quia Joannes generatim locutus est, et prædictio ejus ad omnes se extendit, et ad omnia tempora. Secundo ergo exponitur de baptismatis sacramento, a Chrys., hom. 11 in Matth.; Euthymio, et Anselmo, ibi; et Basilio, in lib. de Bapt., non longe a principio; Cyril. Alex., lib. de Fid. ad Theodos., post medium, et lib. 1 de Fid. ad Regin., in probatione, quod Christus sit Deus, ex evangelio Matthæi; Cyp. lib. 1 contra Judæos, cap. 12. Quæ expositio facile accommodatur prioribus verbis: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*. Quibus Joannes, nec materiam, neque formam, neque omnino ritum externum baptismi Christi explicuit, sed ab efficacia et virtute conferendi gratiam Spiritus Sancti illum nominavit. Altera vero particula, *et igne*, a Theophylacto, et Euthymio, prætermissa est; unde non videntur eam legisse apud Matth., sicut nec legitur apud Marcum, cap. 4; tamen certissimum est ita esse legendum, non solum apud Lucam, cap. 3, de quo nunquam fuit dubitatio, sed etiam apud Matth. Ita enim legunt omnes antiqui, Chrys., Hier., et alii. Et vulgata lectio ita habet sine ulla varietate.

11. *Particula Matth. 3: Et igni, varie exponitur.* — Exponitur autem illa particula variis modis. Anselmus per illam particulam, *et igne*, intelligit metaphorice significari sacramentum confirmationis, quod est veluti consummatio baptismatis Christi, et in eo datur plenitudo Spiritus Sancti, et ideo ab effectu metaphorice significatur per ignem, quia Spiritus Sanctus ignis consumens est. Chrysost. vero intelligit idem significari nomine ignis, quod nomine Spiritus Sancti, sed illa repetitione et metaphorica significatione ait indicatam esse abundantiam gratiæ baptismalis, et efficaciam ejus, quia et animam sanctificat, et sordes ejus consumit, et vim bene operandi præstat. Beda vero, et alii, per ignem, intelligunt, vel poenitentiam, vel tribulationes hujus vitæ, vel quacumque alia remedia, per quæ Christus purificat animam baptizatam, a maculis et peccatis post baptismum commissis. Ita ut sensus sit: Ipse vos in

Spiritu Sancto baptizabit, et si opus postea fuerit, etiam igne purgabit. Hieron. vero per ignem intelligit ignem purgatorii, quo Christus in futuro sæculo purgabit suos electos. Quæ expositio non displicet Bedæ et aliis; et idem fortasse est sensus Hilarii, cap. 2 in Matth., qui de igne judicii ultimi hoc interpretatur; potest autem intelligi tam de igne judicii universalis, quam particularis uniuscujusque. Et videtur satis consentanea verbis proxime sequentibus: *Cujus ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam*. Unde hæc expositio ultima est satis probabilis, juxta quam non oportet priora verba ad sacramentum baptismi coarctare; sed simpliciter ea intelligere de omni sanctificatione spirituali, quæ per Christum in hac vita confertur; ita ut sensus sit: Ipse vobis remittet peccata in hac vita, et spiritum liberaliter dabit, et Spiritus Sancti gratiis inundabit (ut ait Theophyl.), in futura vero etiam igne purgabit, scilicet, si opus fuerit. Et juxta hanc expositionem metaphora illorum verborum potius posita est in verbo Baptizo, quam in voce ignis, quia non significat corporalem abluionem, sed animæ emundationem, quæ per hujusmodi baptismum significari solet. Sive autem metaphora ponatur in una, sive in alia voce, nihil est, quod miremur, quod vox aqua, vel baptismus, seu baptizo, in aliis locis proprie sumenda sit, in hoc vero vox ignis, aut verbum baptizandi, metaphorice sumantur, quia ratio diversorum locorum et rerum hoc postulat, et Ecclesiæ ac Patrum traditio et expositio id confirmat.

SECTIO II.

Utum ablutio aquæ sit proxima materia baptismi?

1. *Ratio.* — Ex dictis in præcedenti sectione satis constat, quid in hac dicendum sit. Docent enim omnes Theologi, abluionem esse materiam hujus sacramenti, quod de materia proxima necessario intelligendum est. Et hæc est mens D. Thomæ in his articulis, et in 4, dist. 3, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1 et 2, ubi idem docet Magister; et Scotus, quæst. 3; Richard., art. 1, quæst. 4; Palud., quæst. 3, et reliqui. Et sumitur ex verbis Christi, Matth. ult.: *Baptizantes eos in nomine Patris, etc.* Et ex illis Pauli ad Eph. 5: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Idem enim est lavacro, quod baptismus; et lavacro tribuitur animæ mundatio, tanquam materiæ

proximæ hujus sacramenti. Unde Augustinus tract. 15, in Joan: *Quid (inquit) est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo*. Ratione probatur facile, nam aqua est materia remota; cum enim hoc sacramentum non sit permanens, sed in usu consistat, non potest aqua per se sumpta esse materia proxima sacramenti, quia ut sic, et quieta manens (ut sic dicam) nec significat, nec est instrumentum gratiæ conferendæ; ergo materia proxima consistet in aliquo usu aquæ; sed non in alio, nisi in abluione, ut constat ex verbis Scripturæ citatis et ex usu et traditione Ecclesiæ: ergo.

2. Atque hinc obiter colligitur, ut aqua sit conveniens materia baptismi, necessarium esse, ut sit in ea dispositione, in qua possit ad abluionem deservire, et ideo si congelata sit, et facta glacies, aut nix, vel aliquid simile (quidquid sit de quæstione philosophica, an tunc sit substantialiter aqua, nec ne) donec aliquantulum liquefiat, aptaque ad abluionem reddatur, non posse esse hujus sacramenti materiam, cum non valeat applicari ad illum usum, in quo proxima materia hujus sacramenti consistit.

3. *Quid sit ablutio, de qua agitur.* — Sed explicandum superest, quid sit, seu in quo formaliter consistat hæc ablutio; Soto enim, in 4, dist. 3, art. 1, dicit consistere in passione, seu receptione aquæ in corpore hominis baptizati, nam aqua ut sic recepta ordinatur ad sanctificationem animæ; ergo ipsa receptio est proximum instrumentum sanctificationis; ergo est materia proxima sacramenti. Unde concludit, hanc abluionem in passione consistere. Et in hanc sententiam citat Scotum, et Rich. At vero Scot., ib., q. 3, potius sentit abluionem consistere in actione, quia sacramentum est actio sacra ipsius ministri; ergo et baptismus ex parte materiæ proximæ erit lotio, ut facta a ministro; Richard. autem, ibid., art. 1, quæst. 2, sentit, abluionem, utramque rationem actionis et passionis includere; sicut justificatio et ablutio interior, quæ per exteriorem significatur et efficitur, utrumque requirit, scilicet infusionem et receptionem gratiæ.

4. Ego sentio, ad rem Theologicam, quæstionem esse parvi momenti et utilitatis. Si tamen physice velimus rem perpendere, dicendum est, in rigore nullam physicam passionem requiri in corpore baptizati, ut fiat ablutio ad baptismum necessaria; requiri vero physicum contactum aquæ ad corpus